

« et a sano. Non est necesse hoves aut oves emere
« aut ultra mare navigare, ut hoc impleatur præ-
« ceptum. » Et loco testimonii illum Deuteronomii,
xxx, 11, textum adducit, in quo Deus noster ad nos
ita loquitur: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie,
non supra te est, neque procul positum, nec in celo
situm, sed juxta te est in ore tuo et in corde tuo, ut
facias illud. Ut nos qui viatores sumus ad caelestem
patriam nostram tendentes per viam difficultatem
nos minime excusare valeamus, quo minus dictam
patriam assequamur eandem nobis viam compla-
navit, et remotis omnibus offendiculis, facilem et
perviam reddidit. « Tale est bonum pacis, » inquit
S. Laurentius, « quod ex fraterna oritur charitate,
« ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri,
« nihil delectabilius concupisci et nihil utilius pos-
« sideri. » Ecce quam bonum et quam jucundum
habitare fratres in unum, inquit Psalmista, Psal.
cxxxii, 1; quoniam illic mandavit Dominus benedictio-
nem et vitam usque in sæculum.*

b. — Hoc loco agi de ira mortifera, quæ sine
digno fundamento concipitur, et in animo retine-
tur contra debitam proximi dilectionem, communis
Patrum est sententia. Huic autem justè hæc additur
sententia: *Reus erit judicio*, quia hæc ira sæpe
causa existit mortis corporis et animæ. Unde Job,
v, 2, ait: *Vere stultum interficit iracundia*. Beatus
Petrus Damianus suadet dicens: « Excludatur ab
« iratorum mentibus iracundia, quæ odium gene-
« rat, quæ nimium cordis oculos, quos per semet-
« ipsum turbat, per virulentam sobolem deterius
« cæcat; et iracundus quisque se voraciter peremit,
« dum læsionem proximi, vel quod atrocius est,
« mortem silit. Unde scriptum est: *Vitum stultum
« interficit iracundia.* » S. Bonaventura de hoc vitio
dissertens, inquit: « Aufert homini seipsum, sicut
« vulgo dicitur, quod homo turbatur, vel iratus
« non est in seipso; satis autem damnificatur qui
« perdit seipsum. »

c. — Notanter Syriacus hic addit vocem *tenere*:
Qui tenere irascitur fratri suo. Ex quo notandum,
quod non quælibet ira sit vitiosa; nam est ira per
zeleum, quæ est commotio animi contra vitium,
quod videt in persona contemne legem Dei. Et
ira hæc est mater disciplinæ, custosque virtutum;
ac proinde iræ passio, idcirco est impressa homini
ut contra inordinatos appetitus et peccatum irascat-
tur, necnon ut a pigritia sua evigilet.

Doctor Angelicus in quodam articulo disputat an
ira sit licita, hancque statuit in hac questione con-
clusionem: « Secundum rationem irasci laudabile
« est. » Idque probat auctoritate S. Chrysostomi
dicens: « Qui sine causa irascitur, reus erit; qui
« vero cum causa, non erit reus. Nam si ira non
« fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant,
« nec crimina compescuntur. » S. Bonaventura,
non solum iram totaliter non condemnat, verum

etiam eandem nonnunquam convenientem et nec-
cessariam esse censet; unde ait: « Non ut penitus
« homo non irascatur, sed ubi debet et quando
« debet; unde debet habere et faciem hominis et
« faciem bovis. » Idem quoque alibi in quodam
sermone id ipsum confirmans ait: « Ira quæ est ex
« causa, non est commotio illicita, sed judicium,
« eo quod non irascitur fratri suo, sed vitio. »
Seneca solo lumine naturali hujus nobis innata pas-
sionis inordinationem agnovit, dum ait: « Magna
« pars hominum est, quæ non peccatis irascitur,
« sed peccantibus. »

Ira autem quæ in vitium degenerat et peccani-
nosa est, illa dicitur quæ contra proximum ex
vindicta et odio privato armatur. Et huic incarnata
Sapientia comminatur dicens: *Qui irascitur fratri
suo, reus erit judicio*. Circa quæ verba Cornelius
Jansenius hanc ad propositum nostrum habet inge-
niosam et utilem observationem. Dicit enim: « Non
« prohibentur hic primi iracundia motus, qui in
« nostra non sunt potestate, sed ira deliberata et
« perfecta, cui scilicet consensus accedit. Deinde
« nec cujusmodi iræ, qua quis vitio hominis offen-
« ditur, ad quod significandum quidam putant
« dictum: *Qui irascitur fratri*; hoc est enim non
« vitio hominis, sed homini, quem quod frater sit,
« diligere debet. Itaque per dativum, *fratri*, satis
« significatur, Dominum loqui de ira tali quæ
« pugnat cum dilectione fraterna. »

Ira ut plurimum contra inimicos accendi solet,
qui contra nos pugnant. At vero majores adversa-
rios, ferociioresque inimicos habere non possumus,
quam sint inordinati appetitus nostri; ac proinde
contra illos dirigenda est ira nostra. Unde Alcimus
inquit: « Ira data est ad vitia cohibenda, ne
« impiis, id est, peccatis homo serviat, tanquam
« dominis, » quia juxta Domini vocem, *qui facit
peccatum servus est peccati*.

d. — Inter cæteras corporis et animi pestes,
pestilentissima est ira, quæ hominem a solo ratio-
nis ad tempus deturbans, helleinis et effero morem
ingerit, feram faciens ex homine. « Quando enim
« semel iræ perturbatio, mentem præcipitans, in-
« perium animæ sumpserit, hominem penitus in
« feram convertit, » ait S. Basilius, *Hom. de ira*.
Nam, ut ait S. Chrysostomus, ira tabes quædam et
linea nostræ mentis radices corrodens est, nec
hominem, ut rationis sit compos, esse sinit. Et ideo
execrandum delictum, quod ex gravissima muleta,
qua punitur censeri licet. Iratus enim toto Dei
judicio reus fit, non humano solum sed divino; sic
severe in iram animadvertitur. Qua simili pœna
muletatur qui impie et immundo ore quasi fœdat
diviniora mysteria; itane grave delictum ira?
Annon effervescens solum est animi motus? Cur
igitur severiori pœna mulletur a Christo? Respon-
det ad rem Joannes Baptista de Sylveria: « Exordi-

« tur Dominus explicare homicidium et primo loco
« iram vetat, quæ est illius causa. Qui enim malum
« vult amputare, a radice debet incipere. » Radix
quippe homicidii, ait Chrysostomus, iracundia est;
qui igitur radicem abscondit, multo facilius ramos
poterit amputare, nam peccatum etiam qualecum-
que in suis principiis suffocandum est. *Beatus qui
tenebit et allidet parvulos tuos ad petram*, dicit Psal-
mista, Psal. cxxxvi, 9. Porro per hos parvulos, qui
ad petre duritiem allidendi sunt, Origenes cogita-
tiones, desideria, primasque suggestiones, quibus
nondum consensus est præstitus, intelligit. Enim-
vero David antecederet dixerat: *Filia Babylonis
misera*; et postea subdit: *Beatus qui tenebit et allidet
parvulos tuos*, « id est, » ut ait Origenes, « Baby-
« lonis parvulos, qui nulli alii videntur, nisi cogi-
« tationes prævæ, quæ cor nostrum conturbant
« et confundunt. » Hæc igitur allidendæ sunt ad
petram, id est, per considerationem Christi qui
nullo modo debet offendi: *Petra autem erat Chris-
tus*, inquit S. Paulus, I Cor., x, 4. Et quidem hi
parvuli in primis suis principiis repellendi sunt et
suffocandi. S. Augustinus a Glossa citatus ait: «
« Nascentes cupiditates, antequam robor accipiant,
« facilius vincuntur. » S. Hieronymus quoque S.
Eustochio virgini, illæ S. Paulæ, idem hoc insinuat
documentum, inquit: « Quia impossibile est, in
« sensum hominis non irruere innatum medulla-
« rum calorem, ille laudatur, ille prædicatur bea-
« tus, qui statim ut operit cogitare, interficit
« cogitatus. » S. Chrysostomus ait: « Considera
« quid nobis evenire possit, ad majora studia voca-
« tis, nisi diligenter nobis attenderimus, ac malo-
« rum scintillas nondum accensas anteverentes
« restinxerimus. Perjuras assidue? Ne ad hoc so-
« lum obfirmaveris, sed et jusjurandum tolle, ac
« tibi res circa laborem succedet; multo enim
« difficilius est juramentum non perjurare, quam
« prorsus a jurajurando abstinere. Injuriarum illa-
« tor es, conviciator, percussor? Legem tibi præ-
« scribe ne succensurum te, nec quovis clamaturum
« modo; sic fiet ut una cum radice fructus intereat.
« Lascivus es? Ne mulierem aspicias, neque in
« theatrum ascendas, neque in foro formæ aliene
« pleuritidinem curiose perscruteris. Minus enim
« laboriosum fuerit prorsus abstinere a formosæ
« mulieris aspectu, quam ea conspecta, ac desiderio
« semel admissio, animi motum ab eo desiderio
« proflicentem repudiare; sunt enim certamina
« ipsi in exordiis leviora; imo vero ne concerta-
« tione quidem indigemus, nisi adversario valvas
« adaperuerimus, vitiositatisque semina admiseri-
« mus. »

e. — Quod est judicium cui obnoxius fit qui
irascitur? Cajetanus sic ait: « *Reus erit judicio*,
« non humano sed divino. » Heu quam durum
supplicium! Iratus toto Dei judicio reus fit? Sic

severe in iram, seu impatientiam animadvertitur,
ut etiam Christus infernum interminet illis, qui a
patientia degenerant et ab impatientia seducti, in
verba injuriosa prorumpunt. Detestanda igitur toto
animo impatientia est.

Sapiens, Prov., xiv, 17, dicit: *Impatiens operabitur
stultitiam*; quibus verbis hujus vitii malitiam in
specie non explicat, sed in genere tantum eandem
insinuat, ut exinde omne malum, ex hoc vitio,
velut ex vase Pandoræ, dimanare intelligamus. S.
Zeno ad inferendum nobis erga vitium istud capi-
tale odium, illud ad vivum nobis delineat sequen-
tibus coloribus; ait enim: « Impatientia quid est
« nisi mens lubrica, permotionibus crebris, rapi-
« disque semper expumans? Animus infidelis etiam
« sibi. Actus improvidus, instabilis, cæcus, incautus,
« inconstans, totus concitans in ruinam. Omnia cito
« tentat, omnia in momento disturbat, mater cri-
« minum, curiositatis magistra, acumen temeri-
« tatis, auctor detestabilium pariter ac magistra
« malorum. Homines namque ab incenabulis mundi
« mors ut jugularet ac jugulet, ab ipsa prorupit.
« Denique Adam in arce cum adhuc esset Paradisi
« constitutus, beatissimisque beati orbis imperio
« adhuc potiretur, tandem felix, tandem inextermi-
« nabilis vixit quamdiu imperata regulis edicti
« continuit; at ubi sinistro consensu invalidi ex
« lubricitate serpentis est impatientiam mutatus,
« sacreque arboris pomum male dulce delibavit,
« lacrymas reperit, dolores et gemitus, spinas et
« tribulos sibiimet comparavit, ullimoque sudore
« turbatus, posteris hereditatem indigesta mortis
« quæ homicidium mox peperit, dereliquit. Deni-
« que nec mora est: impatienter fratrem invidus
« muneris, in fratris Cain anhelat exitum. »

f. — *Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit
concilio*. Divus Augustinus qui hujus vocis hebraicæ,
Raca, significationem a quodam Hebræo quesivit,
dicit interjectionem quandam esse, iram animi sine
aliqua animi injuria significantem, adeoque pecca-
tum leve; ex quo colligimus mentem hujus celestis
Magistri esse hortari, ut venialia et leviora etiam
peccata vitemus, quo a gravioribus tutiores simus.
Nam et leviter irasci et in vocem ire indicem, sine
fratris tamen gravi injuria, prorumpere, venialia
peccata sunt. Quæ tamen ipse vitare monet, ne ad
lethalia veniatur. Peccata enim venialia non curan-
tes, in majora paulatim labuntur precipitia. Unde
scriptum est: *Qui timet Deum nihil negligit*; hoc
est nihil, neque parvum aut magnum admittit quod
modo ad cultum Dei, ejusque offensionem vitandam
spectet. Ut enim qui vitam diligit non solum mor-
tem, sed morbos etiam fugit, qui viam ad mortem
muniunt, ita qui lethiferi peccati mortem odit
venialia quoque peccata, quæ volut ægritudines
animæ sunt, diligenter vitare student, quales sunt
animæ timorate.

Ab hac autem cura vehementer abhorrent illi qui frequenter dicitur solent : « Otiare, ludere, scurram agere, mensuram vel in edendo, vel in bibendo minus tenere, capitalia vitia non sunt. » Quid ergo impedit, quominus paululum his rebus indulgeamus, quae mortem animae non inferunt? « At longe alius est sensus in hoc Evangelio Christi, » aliaque SS. Patrum sententia. » Unde D. Hieronymus, in *Epistola* ad Celantiam, ait : « Neque enim te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quae potissimum Dei mandata contemnant, quaeque quasi vilia, ac parva despiciant, nec metuunt, ne secundum divinam sententiam minima contemnendo, paulatim decendant, » quod plerumque contingit.

Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam, et delicta omnia paria iudicare, nec ullum inter scelus et erratum discrimen facere. Nos vero multum inter peccata distare credimus. Tamen satis ad cautionem prodere dicimus etiam minima pro maximis cavere. Tanto enim facilius abstinemus a quocumque delicto, quanto magis illud metumus, nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et sane nescio an possumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Sit etiam quantumvis parvum veniale, offensiva tamen Dei est.

g. — Quidam istud : *Qui autem dixerit fratri suo Raca, etc.*, « exaggeratione magis sive per hyperbolicum esse voluerunt, » inquit Chrysostomus, eo quod peregrinum illis, sive inconveniens esse videatur, quod unicum tantum verbum asperum, sive contumeliosum, poena sit aeterna mulcandum. Sanctus tamen Doctor modum hunc loquendi non hyperbolicum, sed veridicum esse existimat; dicit enim : « Sed vereor ne nosmetipsos verbis hic omnino frivolis vel potius infidelibus seducentes, » ibi rebus ipsis, extrema supplicia solvamus. » Ratio autem hujus est manifesta. Nam inter ea bona temporalia, quae homo maximi facit, unum et quidem praecipuum, est honor et existimatio, sive fama bona. Et haec per injuriam valde denigratur. Unde nobis cogitandum est, quanta acerbitas Christo illata fuerit ex ludibris quibus ipsum Judaei insultarunt, et quam juste digna adhuc in hodiernum usque diem luan supplicia.

VERSUS 23.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

Si ergo, etc.

1. — Hugo Cardinalis observat, Christum prop-

ter homicidium, ne scilicet illud committeretur, prohibuisse iracundiam in corde reconditam, multo magis vero illam, quae tandem prae sui vehementiam in contumeliam prorumpit. « His tribus scilicet addi « quartum, quod ex his solet nasci, odium scilicet, » quod est ira inveterata. » S. Thomas eandem habet ponderationem, dum ait : « Hic prohibet « iram inveteratam, ex qua odium nascitur, » facile juxta Rabanum, argumentum quoddam a minori ad majus : « Si non licet fratri suo irasci, » multo fortius non licet detinere iram, unde nascitur odium. »

Offers.

2. — Porro qualis illa oblatio sit, quam Deus a nobis primo loco postulat, ipsemet Deus noster expressit declarat, *Prov.* xxiii, 26, dum ait : *Præbe fili mi cor tuum mihi*; at vero ne cor vacuum esset, ideoque ejus oblatio minus sibi esset accepta, illud ipsum a Spiritu Sancto repleti fecit, *Rom.*, v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; quod si vero hujusce amoris ignis in corde nostro extinetus fuerit, imo e contra fuerit pessima odii amaritudine imbutum, Deus utique oblationem istam omnino abominabitur. Theophylactus ait : « Doceat charitas » tem verum esse sacrificium. » Chrysostomus pariter, *Hom.* xxvi in *Matth.*, in persona Dei dicit : « Sacrificium mihi est, fratrum reconciliatio. » Enimvero oblationes nostrae Deo placere non possunt, si nos, qui illas offerimus, ei non fuerimus accepti, id est, si ejus fuerimus inimici; prorsus enim impossibile est amare ipsum et amore ejus non amare proximum nostrum, sunt enim hi duo amores a se invicem indivisibiles et inseparabiles, unde per necessariam consequentiam colligitur, quod si nos Deo grati et accepti non simus, multo minus gratæ futuræ sint nostrae oblationes; nam ut S. Augustinus, *Serm.* xvi de *verb. Dom.*, ait : « Te « querit Dominus magis, quam munus tuum; » offers munus tuum; et tu non es munus Dei; plus « querit Christus, quem redemit sanguine suo, » quam quod tu invenisti in horreo tuo. »

3. — Ex celeberrimo illo Apostolo, *I Cor.*, xii, textu clare satis deducitur, quod nulla oblatio, nullum quantumvis bonum opus, licet etiam martyrium esset, sine amore et charitate Dei, ei grata esse possit. Et ideo Tertullianus bene ait : « Quid est, ad « pacem Dei accedere sine pace? Ad remissionem « debitorum cum retentione. Quomodo placabit « patrem iratus in fratrem? »

4. — Jansenius observat quod Christus Dominus noster, qui proximum suum offendit, remedium praescribere volens, non solum ei preceperit, ut cum eo se denuo reconciliaret, sed etiam ut pacem cum Deo renovaret : « Necessitatem satisfaciendi « fratri offenso demonstrat ex displicentia divina,

« dum offensam in fratrem docet esse impedimen- « tum ad offerendum munus Deo, ut intelligamus « non solum in fratrem nos peccasse, sed etiam in « ipsum Deum, nec tamen posse nos nostris sacri- « ficis Deo reconciliari, quamdiu non fuerimus « reconciliati fratri. » In *Levitico*, ii, 11, ubi de oblationibus agitur, inter alia scribitur : *Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domini*; mox vere aliud mandatum subjungitur, quo omnes oblationes sale conspergi jubentur : *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condices; nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo*. Similiter luminaria ad divinum ejus cultum spectantia, non ex cera, quamvis haec materia luminarium nobilissima existat, sed ex oleo restaurari voluit, *Exod.*, xxv, 6 : *Oleum ad luminaria concinenda*; at vero omnia in figura contingebant; mel etenim et cera fabricantur ab apibus, quae vindictam appetentium figuræ existunt; siquidem apium proprium est, quod si molestia aliqua afficiantur, aculeis suis pungere soleant, eosdem in vulneribus post se relinquentes, tametsi post infixum vulnere aculeum mori debeant, ac proinde non solum mel, sed etiam ceram ab oblationibus suis repudiavit et solum oleum adhiberi praecipit, eo quod non solum olivæ, quæ pacis symbolum esse noscitur, fractus existit; verum etiam, quia liquor quidam est, qui quanto amplius in toreulari calcatur, tanto ad commodum et utilitatem magis abundat; e contra vero sal unionis et concordiae symbolum existit, ac proinde sal foederis appellatur. Et ideo in S. Marco quoque, ix, 49, Christum dixisse legimus : *Habete in vobis sal et pacem habete inter vos*; ad illud namque componendum, duo elementa inter se contraria, aqua videlicet et ignis inter se simul uniantur et in beneficium nostrum in concordia multa conservantur. Deus quoque modum constituit, juxta quem altare erigendum erat; super quo sacrificium, ad hoc ut gratum esset, offerri debebat, *Deut.*, xxvii, 5 : *Edificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quas ferrum non tetigit*; parvi faciebat, quod caeteroquin lapides illi rudes, impoliti, nec secti, aut quadrati essent : *Offers super eo holocausta et immolabis hostias pacificas*. Non vult igitur Deus, quod lapides altaris illius, super quo illi nostræ sunt offerende oblationes, vel per umbram ferrum tangat, utpote quod discordiæ symbolum, ire, odii et vindictæ instrumentum esse constat. Unde Origenes, *Hom.* xii in *Joan.*, ait : « Ex lapidibus, quos ferrum non tetigit, qui ferrum « pugnae, ferrum belli, ferrum litium nunquam « recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus « et mitis. »

5. — Lyranus inquit : « Advertendum, quod « munus Deo oblatum non proficit ipsi offerenti, « nisi sit in charitate, charitatem autem non ha- « bet, nisi proximo laeso ab eo, velit satisfacere. » S. Gregorius, *lib.* VIII in *Ezech.*, ex his verbis

arguit, quantum Deus odium detestetur proximi : « Hinc ergo perpendite, quantum malum discordia, « propter quod et illud abijcitur, per quod culpa « laxatur. »

Munus.

6. — *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi*, inquit David, *Psal.* cxv, 12, cognoscebat enim, quod nihil boni Deo offerre valeamus, quin illud primo ab ipso receperimus, *Jac.*, i, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est*; quodnam vero inter omnia Dei dona majus est? *I Cor.*, xii, 13 : *Majior autem horum est charitas. Colos.*, iii, 14 : *Super omnia autem charitatem habete. I Tim.*, i, 5 : *Finis præcipit est charitas*, hoc est donum, quod Deo in nobis præ cunctis aliis placet : « Doceat charitatem, » ut supra ex Theophylacto diximus, « verum esse sacrificium. »

7. — Possumus etiam, juxta D. Chrysostomum, *Hom.* xvi, oblationis vel muneris nomine, orationes et elemosynas nostras intelligere : « Munus et hostiam, orationem et elemosynam dico, quia enim « et hæc sacrificii instar obtinent. Audi Prophetam « loquentem : *Sacrificium laudis honorificabit me. « Immola Deo sacrificium iustitiae*; itaque etiam ora- « tionem cum tali offerat voluntate, melius est ora- « tionem relinquere et ad reconciliationem fratris « excurrere et tunc orationem consequenter « ferre. »

8. — S. Antonius de Padua, in *Dom.* VI post *Trin.*, inquit : « Munus penitentiae ad altare, id « est, carnis macerationem, et ibi recordatus fueris, « quod frater, id est, spiritus tuus habet aliquid « adversum te, id est, corpus affligens recordaris, « quod spiritus tuus aliquo vitio est maculatus, « relinque ibi munus tuum, id est, noli confidere « de carnis afflictione, nisi prius mundaveris spiri- « tum tuum ab omni iniquitate. »

Tuum.

9. — Albertus Magnus hanc dictionem, *Tuum*, observat, indeque colligit, quod oblatio, quam Deo facimus et elemosyna de nostris facultatibus, deque nostro justo lucro fieri debeant. « Debet fieri « oblatio et elemosyna de tuo. » Unde Sapiens in Proverbiis monet : *Honora Dominum de tua substantia*; ubi Hugo Cardinalis inquit : « Non de aliena, « sed de tuis rebus bene acquisitis, quia oblatio de « alieno non placet Deo. Hujusmodi substantia tri- « plex est; prima redditus Ecclesiasticus; secunda « proprium patrimonium; tertia, res acquisita pro- « prio labore. De prima substantia fit bona elemo- « syna, de secunda melior, de tertia optima. » S. Gregorius ait : « Quidquid in Dei sacrificio ex see- « lere offertur, omnipotentis Dei non placet ira- « cundiam, sed irritat. » Per hoc quoque donum et oblationem nostram intelligi possumus nos ipsi, estque hoc sacrificium, ad quod nos hortatur Apo-

stolus, dum ait, *Rom.*, xii, 1: *Obsecro itaque vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibentis corpora vestra hostiam « viventem fide, »* inquit Hugo Cardinalis, « sanctam spe, Deo placentem charitate. » Idem sibi vult quoque hoc quo Sapiens dicit, *Prov.*, iii, 9: *De tua substantia, « id est, »* in Glossa ait, « de teipso, videlicet teipsum offerendo. » Hugo Cardinalis ait: « Notandum autem, quod unusquisque prius se debet offerre Deo, quam sua, nec placet Deo si sua offert et se Deo subtrahat, quod fit per iram. »

Ad altare.

10. — « *Munus tuum,* » inquit S. Thomas, « id est, oblationem tuam ad altare materiale, vel munus boni operis ad altare, id est, Christum. » S. Bonaventura, *Serm.* in hac *Dom.*, per hoc altare mysticum, Christum intelligit: « Sed heri multi « hodie plus ad aleam et similia offerunt, quam ad altare; altare tuum Christum est, quod in paupere, vel tua mente ubique inveniens, ideo in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio « munda. » Ad hoc altare, id est, sacratissimum Christi corpus multi Christiani accedunt, non ut offerant, ut oblationem recipiant, id est, ut de hoc corpore pro nobis in cruce oblato cibentur, hi autem accedunt cum corde mundo et ab omni odio et rancore purificato, quia priusquam hoc agno immaculato cibentur, pectus percutientes verba illa proferre solems: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Item post Canonem verba illa recitamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* ac proinde valde circumspecte cavere debemus ne mentiamur. Concilium Tridentinum, *Sess.* xvi, c. viii, de hoc sanctissimo altaris Sacramento tractans, hisce illud honorificis nuncupat epithetis: « Signum unitatis, vinculum charitatis, pacis et concordie symbolum. »

11. — Salvatore nostro die quadam de Eucharistia futura institutione disserente, Judæi inter se contendere cœperunt. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* S. Augustinus, *tract.* xxvi in *Joan.*, circa illa verba, se non mirari dicit, quod litigabant, quoniam panem concordie non intellegebant, nec sumere volebant; nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quia « unus panis, unum corpus multi sumus, et per hunc « facit unius moris habitare in domo. » Non sine mysterio Spiritus Sanctus nobis insinuat, quod manna, utpole hujus Sacramenti typus, per circuitum castrorum sive tabernaculorum militarium de lapsum fuerit, non vero intra eadem: *Ros jacuit per circuitum castrorum;* non eadem fuit ratio coturnicium, hæ enim etiam intra ipsamet castrorum tentoria capiebantur: *Manna apparuit in solitudine.* Unde Rupertus Abbas ait: « De castris igitur illis

« exeundum sibi est, quicumque hoc minulum, « quod delituit ros iste, colligere contendit. » Quisquis igitur ad hoc altare ascendere cupit non debet in proposito duellani subsistere, sed apage sint rixæ, procul absint arma. Quod ai quis mihi opposuerit, sanctam Matrem Ecclesiam, hæc introduxisse consuetudinem, ut, quando coelestis hic panis dispensatur, verbis militis, sive centurionis ejusdem, arma tractantis, Deum alloquamur, huic ego respondeo, quod Ecclesia per hæc verba potius nobis insinuaere voluerit, quanto odio Deus prosequatur omne illud, quod vel minimam odii vel hostilitatis umbram in se continet. Etenim centurio sive miles iste, non obstante quod servus ejus, pro quo supplicabat, sub tecto ipsius ad mortem usque languidus jaceret, profundissima cum humilitate dicebat: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Et quidem verba hæc non solum ex quodam modestie instinctu dicebat, sed quia interior illuminatus erat, ut cognosceret, nequaquam consentaneum esse, ut Christus, de quo Apostolus, *Eph.*, ii, 14, dicit: *Ipsæ est pax nostra,* in domum militis, seu potius in armamentarium quoddam ingrederetur, in quo præter milites et enses aliud nihil videre erat et ubi de nulla re alia agebatur, quam de negotiis ad bellum pertinentibus. Unde Origenes in persona Centurionis, *Hom.* v in *divers.*, ait: « Miles sum « extens et ob id non sum dignus, ut intres sub tectum meum, » et re ipsa vero domum ejus ingressus non fuit, sed procul ab ejus domo constitutus servo ejus sanilitatem resituit. Quisquis igitur in dissensione cum proximo suo venit et nihilominus ad hoc altaris Sacramentum accedere presumit, dicat similiter, non jam ex motivo humilitatis, sed sincere et vere: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* siquidem factus est in pace locus ejus et habitatio ejus in Sion. In hoc pacis Sacramentum instituit: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum.* S. Hieronymus hæc Evangelii verba trutinans, postquam hæc propositionem præmississet: « Ignoramus sine pace communio « nem, » hoc inde argumentum deducit: « Si « munera nostra absque pace offerre non possu- « mus, quanto magis et Christi corpus accipere? » D. Chrysostomus, *Hom.* vi in *Matth.*, hæc verba: *Si offers munus tuum ad altare,* ponderans, omnes tam Sacerdotes quam laicos, in discordia cum fratribus suis viventes, ad aperiendum huic Christi monito aures suas, hisce verbis invitavit: « Audiant « hi, qui sacris certe mysteriis initiati cum inimicis « ad communionem altaris accedunt; audiant etiam « illi, qui nondum initiati sunt, nam ad ipsos quo- « que habet aliquid sermo iste commune. »

Et ibi recordatus fueris.

12. — Albertus Magnus ait: « Recordatio non

« est actus memorie, sed reminiscentiæ, ut dicit « Philosophus; reminiscentiæ autem est cum ra- « tione, et in discussione conscientie, secundum « vilam præteritam. »

13. — Paulus de Palatio ex his verbis fructum quemdam dedit, quem percipimus ex oblationibus sacris, quas Deo facimus: « Admonemur de « his, que ad nostram salutem spectant; » etenim per ejusmodi Deo factas oblationes Deus movetur, ut nos de rebus ad salutem nostram pertinentibus erodiat: « Forsan enim non tibi in mentem venis- « set fratris reconciliatio; at quia accessisti ad offe- « rendum munus, tuam Deum excitat memoriam; » adducitque Davidem, *Psal.* lxxii, 16, dicentem: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in tabernaculum Domini et intelligam in novissimis eorum.* Igitur David non admonetur « rei, que tam erat necessaria sibi, nisi introisset « in tabernaculum Domini. »

Quod frater tuus habet aliquid adversum te.

14. — « Pro contumelie affectione, » inquit Hugo Cardinalis, « pro corporali læsione, pro fame « denigratione detrahendo, pro animæ læsione « adulando, pro temporalium subtractione. » S. Anselmus ita exponit illa verba, ut sensus sit: « Si « habet aliquam querelam contra te. » Et hoc sensu facile est hoc Christi præceptum intelligere, nimirum jubetur, ut is, qui offendit vel injuria aliqua affecti proximum, vadat ad placandum offensum, eumque sibi reconciliandum. S. Thomas autem considerat, quod, ex quo Christus in hoc præcepto non adjunxit, dicendo: *Si frater tuus habet justum motivum contra te,* ideo præceptum hoc ita intelligendum esse, quod is, qui injuriæ est passus, prius esse debeat in querenda amicitia et reconciliatio illius, qui illum offendit: « Dat intelligere, « quod etiam ille, cui injuria facta est, debet « querere amicitiam. » Non enim Christus dicit: si tu oderis ipsum, sed, si ipse habuerit odium aliquod adversum te, tametsi tu nullum habeas adversus ipsum rancorem. Porro consilium istud sive præceptum prima quidem facie durum et grave nimis nonnemini videri poterit, siquidem offensus dicere posset: Ego ipsi offensam acceptam ex animo condono et amo ipsum; quod si vero ille me odit, aut aliquam quodam me displicentiam habet, viderit ipse quid agat, ego ab omni culpa liber sum; at vero ipsum dum hoc dicit, gravi errore decipitur, quia revera in rancore ejus culpam habet, reddique se alienæ culpæ participem; dum enim eundem e corde ipsius eradicare valens, id ipsum facere renuit, signum est quod eum minime diligit, alias enim primum omnium loco, spirituales animæ ipsius salutem amaturus esset, *I Joan.*, iii, 14: *Qui non diligit, manet in morte.* Et Apostolus, *Rom.*, xii, 18: *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus*

hominibus pacem habentes. Regius quoque Propheta, *Psal.* cxxix, 6, de se dicit: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Caritas enim a nobis exigit, ut omni cum studio proximum nostrum placare, ejusque furore mitigare conemur, humiliando nos coram ipso, excusando ipsum, omnemque ei debita satisfactionem præbendo. Dionysius Carthusianus citat D. Chrysostomum et Cassianum dicentes: « Ad charitatis perfectionem præcipue pertinet, ut « etiam ille, qui læsus est, studeat adversarium « mitigare, non solum dimittendo illatam injuriam, « sed blando sermone cor ejus placando, quatenus « de cætero sincerum ad se affectum retineat; si « enim possum alterius, quamvis injuriatoris, iracundiam, invidiam, perversitatem sanare, ejus « que animam a morte culpæ eripere, primo accedendo ad eum et pacem reformando inter eum et « me, et cum non facio hoc, non videor esse per- « fectus in charitate Christi, qui pro iniquorum « salute sanguinem fudit, nec proximi, quem possum a tanto liberare periculo, humiliando meipsum. »

15. — S. Hieronymus, *lib.* II *contra Pelagianos*, de hac materia discurrens, dicit: Poluit quidem offensus dicere, quod nullum in se contra proximum, rancorem retineat: « Meæ est potestatis, ut « non habeam aliquod contra fratrem meum; ut « autem ille adversum me habeat, in illius voluntate consistit. Quid ergo faciam, si ille reconciliari noluerit? Obsecrem? Iteclam genua? sed « audire contemnet; in obtorto collo nolentem in « ejus amicitia traham? Et quæ est major inimicitia, quam amicitia necessitate sociare? neque « enim dixit: Roga eum ut tibi reconcilietur; sed « reconciliare primum fratri tuo et sic offeres munus « tuum. » Faciendum nobis est, quidquid charitas nobis suadet et urget, neque ad quid amplius obligamur, neque ad impossibile tenemur.

16. — Porro nos hoc præcepto Dominico ad querendum et reconciliandum nobis fratrem nostrum, qui nos offendit, extimulamus, multorum est Expositorum opinio. Idem S. Doctor super Mattheum ita ait: « Non dixit: Si tu habes aliquid « adversus fratrem tuum, sed si frater tuus habet « aliquid adversum te, ut durior reconciliationis imponatur necessitas. »

17. — Theophylactus quoque Christum non dixisse considerat, quod si proximus noster aliquid adversus nos habet, sive justum, sive injustum, sed absolute: « Sive enim juste, sive injuste habeat, « reconciliare. Et non dixit: Si habes tu contra « illum; sed si habet ille contra te, conare ut ipsum « ad amicitiam reducas. »

18. — D. Chrysostomus, *Hom.* xvi in *Matth.*, ait: « Neque addidit: Sive jure, sive injuria, sed « simpliciter: Si habuerit aliquid adversum te; nam « etiamsi jure succensesas, non tamen convenit

« odium diutius fovere et extendere; nam et Christus justissime nobis poterat irasci, sed tamen semelipsum pro nobis dedit immolandum. » Auctor Imperfecti, *Horr.* xi, ait: « Ne dicas, ille mihi nocuit, non ego illi; ille mihi satisfacere debet, non ego illi; si pro gloria salutis tuæ jubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debet rogare, ut duplicem gloriam consequaris; unam, quia nocitus es; alteram, quia prior rogasti; si enim in illum nocuisti et ideo rogasti, parcat tibi Deus, quod nocuisti, quia prior rogasti, tamen nullam habes mercedem, quia reus constitutus rogasti; si autem ille te læserit et prior rogaveris, magnam habebis mercedem. »

Relinque ibi munus tuum ante altare.

19. — Lucas Brugensis hoc loco questionem hanc excitat, dicens: « Roget quis, an non absurdum sit, pluri fieri charitatis in proximum officium, quam Dei cultum? » Ergone intermittendus est cultus divinus, seu oblatio sacrificii, qui sublimior quidam religionis actus est, ut fratrem nostrum nobis reconciliare et placare valeamus. Responso autem, quam dictus Auctor subjungit, adeo est efficax, ut omnem prorsus intellectum convincat: « Responso in prompta est; » inquit: « Dei cultum præcipue in interna animi affectione, in charitate scilicet esse; tum vero in operibus externis, in sacrificio, oratione, elemosyna et similibus, quare in primis danda est opera, ut bene se animus habeat et charitatem, quam a se depulit, revocet. » Nihil est, quod Deus in anima aliqua gratius et acceptius habeat, quam charitatem et amorem erga ipsum et proximum, imo sine hoc nihil omnino, quantumvis etiam id bonum sit, Deo est acceptum. Unde Jansenius ait: « Advertenda hic mira Dei benignitas, qui, ut promoveat tuam fratrum charitatem, cum alioquin liber sit et sui juris, nec ulli adstrictus, suam gratiam vult pendere a fratris gratia, ita ut suam impartiri nolit, nisi fratris gratia impetrata. » S. Hilarius quoque similem habet considerationem, dum ait: « Reconciliata humana pace reverti in divinam jubet Dei charitatem de charitate hominum transitorios. » D. Chrysostomus continere se nequit, quin exclamat: « O admirabilem benignitatem, sed amorem præcipue. Quid enim his verbis mitius esse possit? quid lenius? Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut tua charitas integretur. » Theophylactus quoque idipsum scribit, dum ait: « Contra temnit Deus proprium honorem, tantum ut nos diligamus. » Auctor Imperfecti eo se reflectit,

scilicet quod Deo obsequium et cultum suum nihil faciat, dum amorem et pacem inter nos mutuam nutrire possit: « Quasi dicat ad illum: *Vade*, ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, libenter exspecto Dominus servos, tummodo ut vos in amicitiam veniatis; *vade* ergo ut scias, quia plus diligit concordiam fideliorem meorum quam munera, quia munera hominum nullum Deo faciunt lucrum, charitas autem illorum Dei gloriam operatur. »

Et vade prius.

20. — Cur obsecro, non permittit illum prius offerre, cum adjuncta promissione, quod deinceps se quoque cum proximo suo reconciliare velit? Quis grave sacrilegium esse ignorat, sacrificium imperfectum relinquere? Ecce tibi quanto cum studio et industria unionem et concordiam proximorum desideret, dum potius sacrificium imperfectum remanere, quam reconciliationem fraternam vel ad momentum aliquod suspendi desiderat.

21. — Ingeniosa pariter et utilis fuit illa Jansenii ponderatio; observat enim quod « non dixit, reconciliari fratri tuo, priusquam offeras munus Deo, ne tempus reconciliandi concedere videretur usque ad tempus offerendi munus Deo, sed ut ante omnia negotia et quam citissime doceret incumbendum reconciliationi. Si, inquit, offers et tibi recordatus fueris, vade, » etc., quod argumentum, quanta cum cura et sollicitudine, priusquam nos divino conspectui præsentemus, reconciliatio fraternam curanda sit clare demonstrat: « Si enim divinum negotium, etiam cum in manibus est, intermittendum est et post habendum reconciliationi fraternæ, multo magis alia negotia et si tunc, dum quis ante altare recordatur offensam, recurrendum est ad fratris reconciliationem, multo magis id prius agendum erat. »

22. — Auctor Imperfecti per hoc verbum *vade*, indicatam nobis intelligit vehementiam et velocitatem sollicitudinis: « Festina ergo inimicum tuum prævenire ad amicitiam, ne forte te tardante, ille præveniat te ad rogandum et rapid de manibus tuis pietatis mercedem. » Porro quid sit munus ante altare relinquere, donec fratrem nostrum reconciliaverimus, Dionysius Carthusianus his verbis clare demonstrat, hoc enim idem est, ac si juberet, « non facere opera bona, nisi prius propositum namus ire ad fratrem offensum, quod utique propositum expedit exequi statim, cum convenienter fieri poterit. »

23. — In vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini refertur, quod, dum hic servus Dei in procinctu Missam celebrandi constitutus, clericum quemdam prava erga se voluntate inclinatam esse recordaretur, ipse, tametsi illum non læserat, sed potius ab ipso graviter offensus fuisset,

ab altari discedens, eundem studiose requisierit, eumque inventum, sibi perfecte reconciliatum, in sua societate ad altare perduxerit, sique magno cum gaudio recitari verba illa ex *Pater noster*: *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Denuum vero Auctor idipsum referens subjungit: « Deiferi quidam sanctorum Patrum dixerunt, Angelorum quidem est nullatenus litigare, sed in omnimoda et perpetua pace consistere; hominum vero est altercari quidem, sed statim reconciliari; demonum autem est totum diem litigare et totum diem transire irreconciliatum. » S. Apostolus ad Ephesios, iv, 26, scribens, sollicitudinem in hac materia adhibendam his verbis insinuat: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Quod salutare Apostoli monitum S. Augustinus examinans nos rogat, ut, dum ab ira adversus aliquem corripitur, operam demus, ne talis iracundiæ affectus radicem in nobis agat, neque illam cordi nostro inviserari patiamur, quin potius eandem ante imminens noctis crepusculum deponere satagemus. Qui idem S. Doctor verba illa de Sole justitiæ Christo explicat, dicens: « Non ergo occidat Sol iste super iracundiam tuam, id est, non deserat Christus mentem tuam, quia non vult Deus habitare cum iracundia tua. » D. Chrysostomus ad id melius explicandum, similitudinem adhibet solis materialis, qui, dum multis cinctus vaporibus occidit, pluvias minatur et tempestates; idipsum quoque iracundo accidit, quando cum fratre suo minime reconciliatus, ad somnum se nocturnum committit; in eo namque ira magis magisque adangetur, adeo ut aliud nihil machinetur aut cogitet, quam diras se vindicandi rationes. Pergit idem S. Augustinus dicere, quod si tempus ire tuæ indulseris: « Occideris tu ab iracundia tua, quia ira cum inveteravit, fit odium, cum factum fuerit odium, magis homicida es, omnis enim qui occidit fratrem suum, in tenebris manet; non mirum si ille jalet in tenebris, a quo occidit sol. »

24. — S. Bonaventura, *Serm.* iii in hoc Dom., S. Isidorum citans, dicit: « Qui sibi fratrem tardius reconciliat, Deum placari sibi tardius sciat, frustra enim propitiari sibi Deum credit, qui cito placari in proximo negligit. »

25. — Cajetanus observat, quod Christus non dixerit, ut fratrem suum, quantumvis longe distantem, convenienter reconciliationis causa, sed absolute locutus fuerit: « Insinuat per hoc præceptum affirmativum, necessitas reconciliationis fraternæ ante oblationem, ad hoc ut sit accepta et si ratio temporis permittit, cum executione exteriori illius ad reconciliationem fratris; si vero prudentia ratio non admittit, puta quod relinquatur ante altare munus usque ad reditum ex Perside, ubi manet frater offensus, sicut cæterorum affirmativorum præceptorum executio exterior differi

potest et reconciliatio exterior. » Denique circa adimpletionem et praxim hujus præcepti ita concludit: « Intelligitur, si ratio temporis permittit, quantum vero ad animam intelligitur absolute. » **26.** — Lyranus verbum hoc *vade* interpretari posse dicit, vel de corporis, vel de affectusgressibus; si de corporis passibus intelligatur: « Debet fieri si commode possit haberi ipse fratris offensæ præsentia; sin autem non possit, sufficit ire ad eum pedibus mentis, quod fit, quando habet propositum satisfaciendi loco et tempore competenti. » Hugo Cardinalis ait: « Non pedibus corporis, si absens est, sed motibus animi, prius quam offeras. » S. Anselmus quoque ita scribit: « Si præsens est, humiliare ei et fac quod ad te attinet, si autem absens est, promitte et habeas bonam voluntatem, ut quam citius invenies, humiliabis te illi et bene poniteas in corde tuo. »

Reconciliari fratri suo.

27. — Porro sacri Expositores reconciliationem istam, pluribus modis fieri posse declarant. Nam Hugo Cardinalis dicit id fieri posse, « petendo ab eo veniam, vel si læserit te, dimittendo ei rancorem cordis. » Albertus Magnus ait, « id fieri satisfaciendo si potes, vel saltem petendo veniam, si aliter satisfacere non vales, si tunc reconciliari non nolle offensus frater, non ipse ex tunc adversus te, sed tu inciperes habere aliquod adversum eum. » **28.** — S. Thomas per auctoritatem S. Chrysostomi dicit: « Si cogitatus offendisti, cogitatu reconciliari; si verbis, verbis, si factis, factis. »

Et tunc veniens offeres munus tuum.

29. — S. Hieronymus super hæc verba, sequens istud maximi momenti monitum tradit; dicit enim: « Quamdiu illum placare non possumus, nescio, an consequenter munera nostra offeramus Deo. »

30. — Albertus Magnus super vocem *veniens* se reflectens, dicit: « Accedendo ad Deum, qui prius per odium fraternum recessisti. I. Joan., ii, 11: *Qui odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo vadat. Tunc offeres munus tuum, depositis odio et acceptabile erit, quia tunc est sacrificium justitiæ, quando fueris justificatus. » Psalm. i, 21: *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos. »**

Additiones.

a. — *Si ergo offers munus tuum ad altare, etc.* Si offerens munus ante altare recordetur injuriam proximi, jubet sanctissimus Magister abire et reconciliari fratri offenso. Quid, annon amor Dei primo loco statuendus esset? Quomodo ergo præcipit, ut prius pergat fratri suo satisfactus? Voluit ibi Christus ostendere primo quidem loco statuen-

dum esse amorem Dei, sed neque illum subsistere posse sine amore proximi. Haymo Halberstadiensis verba illa Apostoli: *Qui diligit proximum, legem implevit*, exponens, ad propositum dicit: « Quia in dilectione proximi consistit et dilectio Dei; neque enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligi potest. »

S. Augustinus circa nostrum erga Deum amorem, tale argumentum facit: « Modo cum fide vides, tunc cum specie videtis; si amamus eum non videmus, quomodo amplectemur cum videmus? » Medium quoque nos docet, quo utendum nobis est, ut in celo inter Seraphinos seraphico quoque amore ardeamus. Dicit enim: « Sed ubi nos exercere debemus? » Et respondens idem S. Augustinus: « In amore fraterno. Potes mihi dicere: Non vidi Deum, nunquid potes mihi dicere, non vidi hominem? Dilige fratrem. Si enim fratrem quem vides dilexeris, simul videbis et Deum, quia vides ipsam charitatem, et intus inhabitat Deus. » Alibi quoque, idem S. Doctor similitudinem quandam adducit, ut mendacium illorum convineat, qui se Dei amatores esse profitentur, cum tamen eodem prorsus tempore fratres suos contemnant et injuriis afficiant. Ipse dedit nobis præceptum ut diligamus invicem. Quomodo diligis eum cujus contemnis præceptum? Quis est qui dicat, diligo Imperatorem, sed odi leges ejus? Lex Imperatoris que est? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Ex qua similitudine aliud quoque motivum deducere possumus. Quis enim credat quod aliquis regem suum veneretur et amat, qui effugiunt, statuam et imaginem ejus injuriis et conviciis afficit? Hoc argumento Hugo Cardinalis utitur, dum super illa verba: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo, etc.*, ita scribit: « Frater enim suus imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cujus est imago, diligis. Ergo mendax es, si te Deum diligere dicis et fratrem odis. *Qui non diligit fratrem quem videt*, non diligit imaginem Dei; et qui non diligit imaginem Dei, Deum non cognoscit; et qui Deum non cognoscit, ipsum non diligit. » Indubitata propositio est quod *Deum nemo vidit unquam*, et ideo nos in proximo, velut in ejus effigie et imagine speculari et contemplari voluit, disposuitque ut in probationem et contestationem, amoris nostri erga ipsum fratrem, qui ob oculos nostros versatur, diligamus.

b. — Tertullianus, *lib. de Patient.*, xii, ait: « Nemo convulsus animo in fratrem suum, munus ad altare perficit, nisi prius, reconciliando fratri, reversus ad patientiam fuerit. Non licet nobis uno die sine patientia manere, » siquidem in tristitia et gemitu simul necesse est, omnibus diebus vite nostræ.

Patientia ab amore Dei procedit, cui proprium

est peccata extinguere; *charitas enim operit multitudinem peccatorum*. Audiamus quid hac de re magnus ille spiritualis vite præceptor Ludovicus Blossius ad propositum nostrum referat; ita enim scribit: « Melchitidi ait Dominus: Qui aliquid gravamen, vel dolorem etiam permodicum tali intentione perfert, ut proponat, pro amore et laude nominis mei, libenter majorem dolorem, vel laborem sustinere, si id mihi placeret, is quantumcumque aridum et peccatorum rubiginem obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, et gratiæ mee capax efficitur. » Cum igitur ad peccatum adeo proclives simus, Deus nobis quoque de hoc antidoto et theriaca patientiæ prospexit. Anclor quidam antiquus ait: « Cuivis dolori remedium est patientia. »

c. — Apud omnes nationes piaculum magnum erat, imperfectum relinquere sacrificium; atlamen Dominus noster hoc non attento, contra omnium gentium morem, a sacrificio repellit eam, qui cum proximo suo jurgia et discordias habet. Cur non permittit ut prius homo munus suum offerat, sacrificium suum perficiat et postea ad reconciliandum cum fratre remittitur? Respondet D. Chrysostomus, *Hom. xvi*: « Irrefutabilem quandam necessitatem reconciliationis imponit; qui enim jussus est, non prius munus offerre quam reconcilietur offenso, etiamsi non ob proximi charitatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum jubet, inimicitiasque dissolvere, et ut exinde pateat, num ad gregem dominicum spectet, veramque in Deum fidem habeat. » Hominis enim christiani character est pax, per quam fides dilatatur et stabilitur. Quo characteris pacis, quia videbatur carere præsens offerens, merito repellitur a Domino. Si enim, *Apoc.*, xiii, venturus in fine mundi Antichristus a communionem emptionis et venditionis, et omni suo servitio excludet, et propulsabit eos qui non habebunt characterem nominis sui, justius repellit Jesus a suo sacrificio qui nominis Christiani characterem, id est, pacem caret; ut omnibus inde innotescat, quantopere exosas habeat discordias, et qui illas fovent acriter castiget.

d. — S. Antonius de Padua, *Hom. in Dom. Vi post Pentecos.*, mystice pulchre discurrens super hæc verba: « *Munus*, » inquit, « patientia; *ad altare*, id est, carnis macerationem; *et ibi recordatus fueris quod frater*, id est, spiritus tuus, *habet aliquatulum adversum te*, id est, corpus affligens, recordaris quod spiritus tuus aliquo vitio est maculatus; *relinque ibi munus tuum*, id est, noli confidere de carnis afflictione, nisi prius mandaveris spiritum tuum ab omni iniquitate. » Quod optime fit per mortificationem, per quam corpora nostra fiunt gratissimum Deo munus. « *Exhibet autem homo Deo corpus suum ut hostiam tripliciter*, » ait

Doctor Angelicus; « uno modo quando aliquis corpus suum exponit passioni et morti propter Deum, sicut dicitur de Christo, *Eph.*, v, 2: *Tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo*. Secundo per hoc quod homo corpus suum jejuniis et vigiliis, macerat ad serviendum Deo; *I Cor.*, ix, 27: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*. Tertio per hoc quod homo corpus suum exhibet ad opera justitiæ, et divini cultus executionem. » Si igitur corporis nostri membra sensibus satisfacere et appetitibus irrefrenatis obedire voluerint, nequaquam ad sacrificia apta erunt. Porro si altare, in quo hujusmodi sacrificium implendum est, inquiritis, ipse Origenes vobis exhibet dum inquit: « *Anime altare est pars in nobis rationis compos, in qua passiones mortificate sacrificantur.* » Quæ victimæ cum altari huic vicinæ sunt, eas mortificationis ferro perimere oportet, ad quod faciendum nos Psalmista invitabat, *Psal.* iv, 6: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*. Tunc namque æternæ beatitudinis spem in nobis vivificabimus, quando hoc obtulerimus sacrificium. Unde Chaldaeus ibidem legit: « *Domate concupiscentias vestras, et reputabitis vobis sicut sacrificium justitiæ.* »

e. — Præstantissimum munus, quod Deo offerre possumus est sanctissimum Eucharistiæ sacramen-

tum. Vehementer autem nos Dominus monet ad unionem cum fratre, dum jubet hoc munus relinquere ante altare et prius reconciliari fratri. Nam sacramentum utpote unionis et pacis symbolum, discordes rejicit. Sacrum Concilium Tridentinum, in principio sessionis XIII, ubi proluxus de Eucharistia agit, idem Sacramentum hoc titulo honorat, dicens: « *Quam Salvator noster in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit ejus unitatis et charitatis, qua Christianos omnes, inter se conjunctos et copulatos esse voluit.* » Ecclesia quoque in festo Corporis Christi, in secreta Missæ oratione ita orat: « *Ecclesie tuæ quasumus, Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatiis muneribus mystice designantur.* » Et in incruento sacrificio, priusquam communio sumatur, hæc verba quotidie dicere consuevit: « *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, donâ nobis pacem:* » sub quorum verborum pronuntiatione, ex communi Ecclesie usu, pax circumferri et annuntari consuevit; imo et ipsum verbum, *communio*, suam ab unione etymologiam trahit; ideo quoque Eucharistiam instituit, *in qua nocte tradebatur*, quando scilicet genus humanum per sanguinem suum æterno Patri reconciliavit, Apostolo teste, qui ait: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Rom.*, v, 10.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MARCI, CAP. VIII, VERS. I

1. Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis:
2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant.
3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt.
4. Et responderant ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?
5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? qui dixerunt: Septem.
6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposerunt turbæ.
7. Et habebant pisciculus paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi.
8. Et manducaverunt et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.
9. Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia, et dimisit eos.

VERSUS I.

Cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis.

1. — Miraculum hoc, ab eo, quod, *Joan.*, cap. vi, describitur, plane diversum esse, ita certum est, ut de eo dubitari nequaquam possit; id quod S.

Hilarius super Matthæi caput xv, scribens, per varias evidentes rationes demonstrat. Ibi namque Apostoli populo famelico et defatigato, tametsi non nisi uno tantum die ipsis adherissent, compatientes, a Magistro suo, ut eum dimitteret, petierunt: hic vero nihil dixerunt, tametsi multitudine hæc triduo integro Christum sine cibo secuta fuisset. Ad